Banaszkiewicz Adami Casimiri: Piscis de piscina S. Stanislai —

PISCIS
DE PISCINA
S. STANISLAI

Cum Sanctissimo eius digito
Intra Solenissimæ Festiuitatis Octavam
eidem in honorem, pijssimi & debiti cultûs hamo
Captus,

JLLVSTRI ET ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. STANISLAO KĘPSKI,

CANONICO TARNOVIENSI,
Curato Vierschossłauicensi &c. &c.
In Argumentum debitæ observantiæ

A

M. ADAMO CASIMIRO BANASZEWIC
In Alma Vniuersitate Cracouiensi
Philosophiæ Doctore & Professore

OBLATVS

Anno Domini, M. DC. LXXXVII.

CRACOVIÆ, Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typ.

PISCIS
DE
S. STANISLAI PISCINA.

quæ hodie Muſis dilectior: quia ſacratior & ſanctior.
Exeſte Caſtalij in fabulis fontes
Ungula, quæ vos elicuit Muſis probrum & dedecus merum eſt
Origo Veſtra fabula, quæ ſine ludibrio commemorari nequit,
Felicior Pegaſus in Rupe
quàm in Veſtro Heliconis Saxo.
Salubriores eduxit aquas, quibus perfundi lauariq; ſalus eſt.
ſecùs quas fronde immortali Viret
arbor immarceſcibilis, immortale decus

Laurea
S. STANISLAI

Epiſcopi & Martyris,

Oleas etiam hîc naſci nemo negare poteſt,
ad littora piſcinæ huius
cùm nullibi Vberior prouentus earum inuenitur.
Oleum enim gratiæ hîc diffuſum S. STANISLAI Nomen,
Si vbi Neptuni maiores deliciæ hîc ſunt
Transfugarum terræ Tantalia ſitis extingui
Euclionum abyſſus hîc expleri poteſt
Illa eſt piſcinæ huius aquarum ſuperfluitas
ſuper quas Spiritus Sanctus ferebatur.
digitus ille paternæ gloriæ
quibus alter ceſsit Sancti STANISLAI.
Miraculoſis ergo Vndis Tuis allectæ Muſæ
in illis natare perfundiq; volunt

Piſcina

Piscina Tua Sacrátior illis Hippocrene;
in quam dùm descendo cùm illis,
non cum retibus venio:
Felicitas hæc alijs cessit Policratibus
Vt aureos Vitæ Tuæ annulos invenirent,
& ex fundo ipso Margaritas virtutis Tuæ lucrarentur
luciq; publicæ exponerent,
Vrinatores piscinæ Tuæ magis dicendi quàm piscatores.
Noui etiam quod in Gange de Gemmis scitur,
Aurea in pactolo ramenta non celantur,
Nempe in maximo orbis silentio mons Tarpejus Camillum,
Vtica suum Catonem loquitur:
Te, absq; nostris calamis & linguis
Polonia
clarâ stirpe Szczepanouianâ natum,
Gallia
literis honestissimis in excellentissima Vrbe sua
Parisijs educatum,
Cracouia
Celeberrima Regni nostri Metropolis
Suum vigilantissimum Episcopum,
Rupes Casimiriæ
S. Martyrem ab impia manu audacis Boleslai
Regis protunc Poloniarum interfectum,
quot miraculis tot oraculis & in vita & post vitam,
clarissimum deprædicat;
quæ non loqui, non fateri, est linguas amittere.
Non igitur ego ire in Tuam piscinam nisi cum hamo
debiti cultûs censui,
& auceps & piscator hodie deberem esse:
Sed piscari pisces faciliùs mihi euenit, quàm aucupari
præsertim aquilas quibus cessisti cum Tuis membris Ganimedes.
Dædalus etiam non struxit alas ad volandum,
& si quas dedit,
Icarus Icarias Nomine meo piscinæ Tuæ facio aquas,
Scilicet, qui Te in Tuo venerari non possum, saltim in parte
Piscium etiam hodie non auium carnes
Nobis Polonis debentur,
à quibus libenter & liberè abstinemus.

 Cedant

Cedant ergo alijs per ſublimia acumina volantibus ingenijs aquilæ, mihi ſufficit hodie cum SS. Tuo digito ex Vita Tua
Piſcis hic,
quem dum capio in honorem Tuum
S. Præſul & Martyr;
in Obſonium Tibi
JLLVSTRIS ET ADMODVM REVERENDE D.
D. STANISLAE KĘPSKI
Canonice Tarnovienſis, Curate Vierſchoſſavienſis,
eundem dedico & offero.
Pridem à longe animus ille fuit,
Vt ſe ingereret Vltro gratiæ & beneuolentiæ,
quando tamen non inuenit conuenientiorem occaſionem,
quàm hodiernâ optatiſsimâ die
quâ illuxit diſcuſsis nebulis ſerenius
D. STANISLAI
Epiſcopi & Martyris, Patroni Tui
feſtiuitas:
Hodie ergo Tibi Maiore licet cultu officij
quàm ſubtili dicendi facultate ſurgo;
magis ex delectu affectûs, quàm ex apparatu
Verborum Orator iudicandus,
in argumentum boni affectûs, piſcem fero & offero
iejunus ipſe in dicendo:
de piſcina S. STANISLAI Patroni Tui eſt
cum SS. eius digito.
Tibi ergo cedere debet Vti STANISLAO, Tuis retibus capi
quibus grandia cete populi ceſsêre:
Piſcaris enim in Oceano mundi hoc felix Piſcator: quia
S. PETRI retibus & Patroni Tui
piſcantibus ſimùl tecum Tuis Fratribus,
quorum alter ille
ILLVSTRIS ET ADMODVM REVEREN: DOMINVS
ALBERTVS KĘPSKI
Zelo boni ordinis præ alijs clarus,

Decanus Voynicensis
Parochus Szczepanouiensis
Vir comitate, gratiâ, omniq; eruditione affabilis
alter ille
ILLVSTRIS ET ADMODVM REVERENDVS DOMIN:
MARIANVS KĘPSKI
Curatus Włodoviensis,
cultissima bonæ mentis & elegantiæ portio,
Vterq; sibi Castor & Pollux
Tu illis Cynosura,
Trinum perfectum,
quod non potuit melius patere aliquando
quàm in illa consecratione Ecclesiæ Włodoviensis S. BARBARÆ
PER ILLVSTRISSIMVM & REVERENDISSIMVM DOMINVM
NICOLAVM OBORSKI
Episcopum Laodicensem &c.
quando omnes tres conuenistis in Vnum ita
Vt trias Vestra pateret in monade & in triade
monas animorum.
ambo aurei Viri, quibus Tu pretiosa gemma,
quam concepit concha sapientia Tua & Virtus,
ob quas ad Regale Sacerdotium vocatus
debebas patere in summis huius statûs dignitatibus:
Probata nimirum Virtus Tua non poterat nesciri
quæ latè interclaruerat:
Frustra quippe latere cupit quod diligitur; sequuntur illud vbiq; gratiæ ac velut adamantem radij sui produnt.
Revelauit te ergo Sol bonarum mentium
ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS D.
D. NICOLAVS OBORSKI
Episcopus Laodicen: Suffraganeus Crac:
in æstimandis præstantibus Viris anima & intelligentia;
Testimonium gloriæ Tuæ delectus tanti Præsulis,

Precium

Precium Tui & adorea omnis in Lilio Viret OBORSCIANO.
Pietatis & Sanctissimorum morũ medulla normaq; Virtutis
Præsul hic
non alium libentius inter Lilia sua pasci agnum admisit
quàm Te, suum quem Capelanum elegit
Simul Te tanquam in Hesperidum hortis præficiendo custodem
Vt per Te ad Lilia sua Hercules veniant
Scilicet tu prima accessio es concredidit q; Tibi se Lilium hoc Totum
Vt simul in coronas abiret gratiarum, honorum.
hinc
Ecclesiæ Collegiatæ CANONICVS Tarnoviensis,
nec non Parochus Vierschossavicensis
plena retia animarum de commisso sibi pelago trahens
Piscanti ergo Tibi in Ecclesia DEI cum PETRO & cum Tuo Patrono
piscem hunc dedico. gratum fore ad mensam Tuam obsoniũ existimo
Vt pote cuius sapidissimum condimentum digitus
S. STANISLAI Patroni Tui
quo nihil Tibi pulchrius, quàm illo monstrari censeo
qui te (votis immortalibus in annua hac solennitate hodierna voueo
monstret indies maioribus honoribus aptum
in Ecclesia DEI
Nestorem in longæva meritorum serie ætati ostendat postumæ
Felix possideas præsentia, vivas longæuus pro futuris,
pisceris in Ecclesia DEI & diu pascaris inter Lilia
OBORSCIANA agnus, quorum vigorem æquè pro Te
Vt & pro nobis influentiæ cœlorum adaugeant
& siue ab alijs hodie melius paratus fuerit, etiam hic
à me propensione obsequiorum & votorum conditus
de Piscina S. STANISLAI Patroni Tui
cum SS. eius digito
gratus acceptusq; sit
PISCIS.